



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens

Soliloquium Animæ. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

Thomas <von Kempen>

Coloniae Agrippinae, 1682

VI. De conformitate animæ devotæ cum Crucifixo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

CAP. VI. *De conformitate
anima devota cum Cruci
fixo.*

Psal. 90.

C*um ipso sum in tribulatione.*

Quid est hoc Domine? Expone mihi verbum istud, quod dixisti; aperi sensum hujus versiculi pro solatio servi tui.

Quid sit
esse cum
Iesu in
cruce;

D. Audi fili. Quando es in tribulatione & cordis mœrore, tunc es cum Iesu in cruce.

Quid cum
eo resur-
gere:

Et quando iterum consolaris in devotione, & delectaris in hymnis & canticis divinis, tunc resurgis cum Iesu in novitate spiritus, & quasi à mortuis suscitaris de sepulchro, alleluja læte canendo.

Quid cum
eo cœlos
petere.

2. Cùm autem flexis genibus oras pro peccatis tuis, & intime doles & ploras, tunc duris ictibus ante portam cœli pulsas.

Cùm verò omnia terrena jam negligis, & sola cœlestia intus meditaris, tunc cum Iesu ad cœlum pergis, & Angelis sociaris.

Esto ergo mitis, humilis &

pa:

patiens, in omni eventu & infirmitate irruente super te propter Deum; & porta crucem tuam patienter cum Jesu, moriendo quotidie in cruce, pro æterna salute tua; quia omnis afflictio carnis patienter tolerata, medicina est animæ & satisfactio pro peccatis, & spes futuræ beatitudinis & gloriæ. Amen.

Afflictio
carnis
medicina
animæ.

CAP. VII. *De ambulatione animæ puræ cum Deo.*

Ambulate dum lucem habetis.

Ille ambulat cum Deo in luce, qui nil cupit de hoc mundo habere, sed habet cor suum fixum ad Deum in cælo. Nam ibi est thesaurus animæ absconditus, Dominus Jesus Christus, in quo omnia bona continentur.

Semper miser est & eget, quicquid habet, qui Deum amicum non habet. Ille Deum habet, qui eum amat, & sermonem ejus servat.

Qui Deum non habet, pauper est, quidquid habeat.

2. Ille verbum Dei bene servat, qui otiosum verbum nunquam